

rialis à numero formalis, & quomodo solus numerus materialis sit in prædicamento quantitatis, formalis autè sit transcendens, non est præsentis negotij, sed in libro 8. Metaphysicæ, id tibi manifestabitur. Ideo pro nunc sustine.

*Oratio*  
*quid sit.* Oratio ut est in prædicamento quantitatis sic diffinitur, Oratio est mensura dictionum sonorum & distinctarum syllabarum atque dictionum prout ore profertur.

Dicitur mensura dictionum sonorum: quoniam soni distincti & voces syllabate distincte, quas oratio dū profertur, mensurat, sunt immediatum subiectum orationis, & habent vicè substantiæ sicut & superficies dū recipit colorem: primū verò & principale subiectū, est aer expiratus.

Dicitur prout ore profertur, ad differentiā orationis in mēte, & in scripto, nā in mēte est in prima specie qualitatis: qm̄ perficit & est subiectiue in intellectu. In scripto p̄t est in quarta specie qualitatis: quoniam scriptura est speciem figuratōis. Quod aut sit quātitas patet ex eo qd̄ est mensura substantiæ modo dictū est. Quod verò sit discreta patet ex eo, q̄ partes eius, q̄ sunt literæ & syllabæ & dictiones nō copulantur ad vñū terminū cōem, sed permanētes discretæ & ordinatæ cōponunt orationē. Licet aut sit discreta quātitas, est tamē species distincta contra numerū, quoniam numerus causatur per replicationem vnitati, oratio aut causatur ordinatione syllabarum & dictionum absque replicatione, nec replicatio eiusdē prolationis numero fieri possit, cū sit res successiua. Cōstat igitur tibi quā sint species quantitatis discretæ & quid sint.

Quantū ad tertium principale agendū est de proprietatibus & communitatibus quantitatis, & sunt tres.

Prima est quod quantitati nihil est cōtrarium, i. quantitati nō contrariatur quantitas, sicut nec substantiæ cōtrariatur substantia, vt declaratum est in cap. præcedenti.

Pro huius euidentiā antequā probetur aduerte primò, quoniam nō habere contrarium ita conuenit substantiæ sicut quantitati, nō potest dici proprietatis quantitatis quarto modo, sed vel dicetur cōmunitas, cum non conueniat sibi soli, vel dicenda est proprietas secundo modo, quia licet nō conueniat soli quātitati cōuenit tamē omni. Secundo aduerte q̄ intētio Philosophi est loqui de cōtrarietate perfecta & propriè dicta, q̄ tres conditiones requirit, primò q̄ sit repugnātia inter duas formas, quæ sint eiusdē generis, vt repugnātia inter albedinē, & nigredinem, quæ continentur sub colore. secundo quod illæ formæ sint aptæ acquiri per motū & diuisibilitatē, sicut calor & frigiditas, q̄ gradualiter & paulatim acquiruntur in subiecto p̄ calefactionem & refrigerationē. tertio quod inter eas sit maxima distantia, ita q̄ sub eodem genere non possit maior inueniri, nec intelligi, nec imaginari. Vnde dulcedo, & amaritudo cōtēntē sub sapore sunt formæ ppriæ, & perfectæ cōtrariæ: quoniam sapes magis distat, & discretus non possunt inueniri, nec intelligi: cuius signum est quod oēs alii sapes dicuntur medij, & participant de vtroq; aliquo modo. Itæ sunt cōditiones propriæ, & perfectæ cōtrarietatis, ex quibus si vna deest, nō seruat cōtrarietatem perfectā. Tertio aduerte q̄ Philosophus intendit quantitati, vt quantitas est, i. absolute, & simpliciter sumptæ, nihil esse contrarium: quod dico, quoniam si consideretur cōparatiue, vel vt fiat sub ratione relatiua, putā sub ratione magni & parui, & sub ratione multi, & pauci, videtur primo aspectu in quantitate esse contrarietatem. Nam magnum videtur contrariari paruo, & multum paucō, & tamen in veritate non potest ex his probari verā & propriā contrarietatem esse in quantitate, quoniam magis sunt in prædicamento relationis quā quantitatis, nā res dicitur magna comparata alteri, & similiter parua, vt mons est magnus cōparatus lapidi, & lapis est paruus comparatus monti, & centū homines sunt multi cōparati decē, & decē sunt pauci, cōparati centum. Intentio ergo Philosophi est loqui de contrarietate perfecta, considerando quantitatē in se & absolute, & non sub ratione cōparatiua, & relatiua.

Postea hæc declaratione, pbatur hæc conclusio, Quātitati, vt quantitas est, nulla quātitas ppriè & perfectè cōtrariatur. & primò pbat eam Aristot. inductione dicens, Manifestū est, quoniam nihil est contrarium, vt bicubitum tricubito vel superficie vel alicui talium, &c. Verū quia possit aliquis negare idem esse iudicium de omnibus aliis quātitatibus, ideo aliter probandū est, & arguitur, ratione sic, Quātitas aut est determinata numero, sicut bicubitum, tricubitum, & quadricubitū, &c. aut non determina-

ta, vt linea, absolute sumpta & superficies, & corpus: si est determinata, deficit sibi cōditio secūda posita supra, sed quod oportet perfectè contraria paulatim & diuisibiliter acquiri, hoc autè repugnat quātitati determinatæ numero, consistit enim bicubitū in indiuisibili, sicut & binarius, similiter tricubitū sicut & trinarius. Si est indeterminata numero deficit sibi tertia cōditio, quæ est maxima distantia. Neq; enim potest dari linea adde lōga, quin possit intelligi lōgior, & superficies latior, & corpus maius in infinitū. Nec est instātia de discretis in localibus in vniuerso, sed de centro mundi & superficie orbis lunæ concava, q̄ videntur extrema maximè distantia secundum motū grauium & leuium. Hoc inquā non obstat, quoniam etsi sint extrema maximè distantia apud Physicum, qui considerat motum grauiū & leuium, non tamen apud Mathematicum & Logicū: qui abstrahunt à materia & motu. Vnde Mathematicus & logicus pōt intelligere lineam longiorem in infinitū quā sit linea ducta à centro mudi ad concavum orbis lunæ: ex consequenti extrema distantiora in infinitū quā sit centrum mundi concavum prædictū, ergo nec quantitas determinata numero, nec indeterminata habet aliquid propriè & verè contrarium.

Sed dices, Si nō est vera contrarietas in quantitate, ergo in ea nō est motus, quod est falsum, vt patet in 5. Physicorū. Patet cōsequentiā: qm̄ Aristot. in 5. Physicorū nō alia ratione negat motum in substantia, nisi quia in eo non est contrarietas, vt docuimus in cap. præcedenti, ergo &c.

Respondetur ad hoc q̄ inter aliqua duo fit motus, nō oportet q̄ sint perfectè contraria secundum tres prædictas conditiones, sed sufficit q̄ habeant duas, sicut termini à quo & ad quem eiusdem generis, & sint diuisibiliter ac paulatim acquiribiles, non est aut necesse quod sint maximè distantes: nā à calido vt duo, ad calidum vt octo datur motus calefactionis, & tamen non maximè distant, cū sint media inter calidum vt vnum, & summè calidum. Et quoniam esse diuisibiliter acquiribile conuenit quantitati nō determinatæ numero: vt patet de loco sursum & deorsum, quoniam sicut paulatim ab vno receditur per motū localem, sic paulatim ad alterum acceditur, ideo datur in quantitate motus, qui est motus augmētī & decrementi. Localis aut motus est in prædicamento vbi: tibi declarabitur in quinto Physicorū, & tangemus de hoc in post-prædicamentis. Et quia hæc cōditio deficit in substantia, quoniam cum producat per generationem producitur indiuisibiliter, hæc de causā non est motus in substantia. Et ideo non est simile de quantitate & substantia. Hæc de prima proprietate dicta sint.

Secunda est, q̄ quantitas non suscipit magis & minus, antequā probetur aduerte duo, primò q̄ hæc non est proprietas quarto modo, quoniam conuenit alteri, scilicet substantiæ, vt docuimus in capite præcedenti, ergo nō est proprietas nisi secūdo modo, quia cōuenit omni, sed nō soli. Est ergo cōmunitas respectu quarti modi, & proprietas respectu secundi modi. Aduerte secundo, q̄ aliud est suscipere magis & minus, & suscipere maius & minus. Nā primū est tēdere de esse imperfecto ad esse perfectius, & perfectius per motū acquiritiuū formæ recipiendæ in subiecto: secūdo est extendi vel contrahi in maiore, aut minorem dimensionem. Primum dicitur augmentum secundum maiorem & maiorem perfectionem, secundū autem dicitur augmentum secundum maiore & maiorem extensionē. Philosophus intendit quantitatē non suscipere magis & minus secundū primū per sensum, & non intendit negare secundū, aliter negaret augmentum & decrementum in quantitate. Non enim est aliud augeri quantitatē quā extendi secundum dimensionē, minui autē est contrahi secundum dimensionem. Verū est ergo dicere, quantitatē non intendi, sed extendi, non remitti, sed contrahi.

Hanc proprietatem non probat Aristot. nisi inductione dicens, Non videtur quantitas magis & minus suscipere, neque enim aliud alio magis cubicū, neq; bicubitum, neque in numero, vt ternarius & quinaris, nihil enim magis tria dicitur quā quinque, neq; tempus aliud magis & minus dicitur: quare quātitas nō suscipit magis & minus. Verū, quia Philosophus nō facit inductionē, nisi in quātitate discreta, & cōtinua determinata numero, diceret aliquis nō esse idē iudiciū de cōtinua quantitate nō determinata numero, & de numero, quoniam illa nō stat in diuisibili, hæc autē sic, ideo bene stat illam posse intendi & remitti.